



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

Parisiis, 1644

Epistola Sancti Caelestini papae ad Theodosium iuniorem Augustum post
Synodum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15241

ANNO
CHRISTI
431
* parum
pic

tur * pari impietate sensisse, atque se socios eius sceleribus addiderunt, quamquam legatur in eos vestra sententia, tamen nos quoque decernimus quod videtur. Multa perspicienda sunt in talibus causis, quæ apostolica sedes semper aspexit. Quod loquimur, Cælestianorum testantur exempla, quod spem de Synodo hucusque gesserunt. Habent, si resipiscunt, copiam revertendi; quod his solis non permittitur, quos proprie cum auctoribus hæreseos omnium fratrum constat subscriptione damnatos. Per Dei namque misericordiam aliquos ex eorum numero ad nos iam rediisse gaudemus. Quod hoc consilio factum est, ut quos conscientia * mixta non poterat, saltem sententia separaret. Hoc, moneo, vestra fraternitas sequatur exemplum: sit caput sceleris cum his quos synodalia loquuntur statuta damnatum: reliqui, quos cum hoc sentientes in communione ecclesiastica non habemus, eiiciantur e civitatibus suis, & se in nostro collegio noverint non futuros, nisi secundum ecclesiasticum & Christianorum principum constitutum, damnata cum auctoribus sociisque damnantes, se profiteantur catholicos sacerdotes. Quam formam etiam circa eos volumus custodiri, qui * subrepiendum in ecclesiasticis causis Christianis principibus crediderunt; & alio ordine rursus ecclesias occuparunt. Antiochenum vero, si habet spem correctionis, * epistolis a vestra fraternitate volumus conveniri: ut nisi quæ sentimus, senserit, novellam blasphemiam eodem exemplo scripta sua professione condemnans, intelligat de se quoque ecclesiam, quod fidei nostræ respectus imperat, ordinare. Credendum tamen de diuina est misericordia, quod omnes in viam redeant veritatis, si de supradicto loco horum malorum caput & causa auferatur. Data Idibus Martiis, Aetio & Valerio Coss.

* subrepiendum ex ecclesiasticis causis a Christianis
* episcopum

EPISTOLA SANCTI CÆLESTINI
papæ ad Theodosium iuniorem Augustum
post Synodum.

Cælestinus episcopus Theodosio iuniori Augusto.

CAVSIS suis diuinam providentiam præstitisse quod CAP. XXI.
sperabamus, agnouimus. nec enim aliud futurum
mentes poterant æstimare fidelium regnantibus vobis,

Concil. Tom. 6.

M m

*Psal. 144.**Psal. 138.**3. Reg. 18.*

quam id quod euenisse gaudemus, vt prædicatio in Deum impia concideret, & cum suo auctore noui dogmatis damnata prauitas deperiret. Illata quidem fidei bella sunt, & regis æterni sacrilegis verborum iaculis natiuitas appetita: sed vos Christo Deo nostro auctore regnantes, hostes impios fidei vestra virtute vicistis, cælestē reuocantes triumphum, per quod religioso munimen in perpetuum præstetis imperio. Vere enim prophetica gloriæ vestræ vox conuenit, & regnum vestrum dici potest regnum omnium sæculorum, quod defensæ fidei meritis propagatur; & crescente sanctæ religionis obseruantia, Christianæ insertum reuerentiæ semper augetur, gloriosissime & tranquillissime imperator Auguste. Ecce nunc domus Domini orationibus vacant, & vestrum, per omnes ecclesias Deo nostro oblatis sacrificiis, commendant imperium. Nihil, a motu perturbatoris ausu, scandalis licet: pestifer vltorius animas hominum sermo non vulnerat: salutem omnibus suarum animarum, dum vniuersali ecclesiæ consulitis, reddidistis. Hæc est vestra prædicandi regni vestri clementia, per quam non terræ, non prouinciæ, sed omnium animæ sunt defensæ. Imputabitis hanc omnimodo victoriam, quam non bellis, non gladiis, sed sola deuotione, qua Deo estis dediti, conquisistis. Manet hic vestræ gloriæ titulus, & manebit, vt nulla illum ætas, nulla vetustas aboleat. Æterna enim sunt, quæ æterni regis amore præstantur. Sic Abrahamæ fides sæculis durat: Dauid regis meritum Dei zelus fecit esse perpetuum, cum inimicos Dei suos credidit inimicos, & odisse quos Deo odibiles approbasset. Elias etiam propheta falsa prophetantes non fuit contentus refellere, sed etiam in illos voluit vindicare, vt eos persequendo perderet, quos in perditionem sui populi niti peruideret. Par tibi cum illo gloria. Ille falsa prophetantibus restitit, tu falsa docentibus: ille mentientes in Deum prophetas persecutus est; tu de Christo Deo nostro prædicantes impia abigis sacerdotes: ille tantum vindictæ intentus est; vestra pietas sic impia vindicat, vt quæ sunt religiosa defendat. Nec enim sufficeret abegisse morbos, & pestilentiam repulisse, nisi & salubres auras redderes, & vitalem infectis substantiam ministrares, talem illi ecclesiæ constituendo pontificem, qui olim hoc se dignum

ANNO
 CHRISTI
 431.

fastigio omnibus, quibus notus est, approbasset. Fert illi, acsi sui corporis parti, Romana testimonium, quæ hunc semper inter suos habuit & numeravit, ecclesia: ferunt suorum merita, quibus sancte adhæserat, decessorum. Ita enim reuerendissimæ memoriæ viro Attico, catholicæ fidei propugnatori fortissimo, mente pariter & officio cohærebat, vt iam tunc futuri in eodem episcopatus insignia præluerent. Sed sit hoc arcano diuinæ maiestatis arbitrio, vt in posterum quæcumque sunt meliora seruentur, & ad quietem per aliqua turbatorum scandala veniatur. Debitum est fratris mei Maximiani episcopi gloriæ, vt aliquem illi prælatum fuisse in hoc quod sustinuit ciuitas, pœniteret; & nunc electo eodem, illi se integritatem fidei debere sentiret. Sed huic tantæ pro suo merito illius ecclesiæ sacerdoti electo taliter, & consensu sanctæ congregationis quæ interfuit, ordinato, ad componendum ecclesiæ statum, & omne vulnus prauæ hæresis radicitus euellendum, ne audeant quæ abscissa sunt pullulare; obsecramus & poscimus sub illius inuocatione quem colitis, fidei * nostræ, vt consuestis, arma præstetis. Nunc enim est omnis opponenda custodia, ne rapax lupo ab ouilibus dominici gregis cum sauerit exclusus, rursus serpentino lapsu ad mortem perueniat animarum, effossis qua potest parte cuniculis. Nec enim potest quiescere, cum prædæ suæ rabidus cupiat incubare. Munimen sanis, remedia præbere sanandis: vallate muris vestræ fidei religionis catholicæ veritatem, per quos & credentes muniti sint, & tanti sequaces erroris non audeant introire. Hic enim plenus victoriæ vestræ fructus est, nihil relinquere, quod rursus Dei ecclesia debeat formidare. Quem igitur vniuersorum eiecit sententia sacerdotum in prædicatione sacrilega perdurantem, eum vestra clementia ab omni societate remoueat, vt facultatem aliquos perdendi non habeat. Religiosos vero filios meos Ioannem presbyterum & Epictetum diaconum tantæ rei nuntios cum totius ecclesiæ gratulatione suscepimus, & lectis in tota Christianæ plebis congregatione apud beatissimum apostolum Petrum vestræ pietatis apicibus, Deo nostro pro vobis vota persoluimus. Ita enim ad nos agente Domino peruenerunt, vt ad eum diem, quo celebramus Christi Dei nostri natalem secundum

* vestra,

carnem, cui quæstio inferebatur, concurrerent, & impietatem conuicti vniuersa congregatio confutaret.

ANNO
CHRISTI
431.

Causa fidei congrue & ecclesiastica & pauperum utilitatis causa subiungitur: ut qui integritatem fidei præstistis, pauperum quoque commodis consulatis. Illustris & sanctæ recordationis Proba possessiones in Asia constitutas longa a maioribus vetustate sic reliquit, ut maiorem summam reddituum clericis pauperibus & monasteriis annis singulis præciperet erogandam: sed hæc possessiones ibidem constitutæ, in damnum pauperum huius negligentia, ut grauius nil dicamus, qui his præfuerat, ea sunt ratione tractatæ, ut non solum consueta non soluerent, verum etiam subreptitia impetratione earum ^{* iustum} ius ^{domini} dominiumque violetur. Rogamus pietatem vestram, ut religiosæ & illustri domui & ecclesiæ id pro clementia vestra præstetis, ut omnis ab his insidiantium inquietudo discedat, & tam ecclesiæ, quam suis dominis sit tuta possessio: ut quod inde alimoniam pauperum acquiritur, vestrum esse credatur. Data Idibus Martiis, Fl. Aetio & Valerio vv. cc. Coss.

EIVSDEM CÆLESTINI PAPÆ
epistola ad Maximianum episcopum Constantinopolitanum, post Synodum.

Cælestinus episcopus Maximiano episcopo Constantinopolitano.

CAP. XXII. **V**IDIMVS & amplexi sumus fraternitatem tuam in literis tuis, talemque sanctitatem tuam, qualem noueramus, inspeximus, simplici scilicet puritate gloriosam, & mentis fulgore potius, quam ^{* honore} sermone perspicuam. ^{* f. Redit} Sed in se atque in statum suum illa, de cuius fide semper gloriabamur, ecclesia, quæ nunc te præfulem diuino iudicio accepit, postquam illum qui eam obsidebat, eiecit. Sume gubernacula notæ tibi nauis, eamque ut didicisse te a tuis prioribus nouimus, rege. Obsiste vndis, quas ille ventus, qui & a nauis ^{* rectoris} vectores abegerat, sed omnibus inimicus, exciuit, omni eam laterum cupiens compage dissoluere, ut rapidis eam posset vorticibus deuorare; professus falsum (quid enim non iniquitas profitetur?) gubernatoris officium, ut videretur regere quos perdere nitebatur. Ad-